



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 1. De Anniversario Consecrationis die celebrando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

CAPUT V.

De Ascensu Annuo.

§. I.

De Anniversario Consecrationis die celebrando.

Gen. 40:

20.

2 Machab.

6: 7.

Marc. 6:

21.

Uod frequentatum olim inter seculi Magnates, ut scilicet annuam Natalium suorum memoriam celebrarent, de Pharaone, Antiocho & Herode sacra id refert Historia: Idem fit & Virgini in praxi: celebraverint illi diem, quo nati ceperant mundo vivere, tu eam celebra quo mundo moriens cepisti vivere Deo: honoraverint eum illi, qui ad Diadema & sceptrum eos protulerat, tu autem eum recale quo (quod verè est regnare) Deo tuo subesse & tibi ipsi præesse statuisse, quod ut cum fructu fiat, necessarium tibi triplex hoc documentum.

Joan. 15:

vers. 16.

2 Reg. 9:

7. & 8.

PRIMUM est, ut Vocationis Beneficium gratia animo agnoscas, non quod tu ei obediendo exhibueris Deo, sed quo misericorditer vocando ille te beaurit, non illi à te, sed tibi ab illo gratia magna impensum beneficium eximium collatum est: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, is inquit. In quantam ebulliebat gratitudinem Miphiboseth Jonathæ filius! cum audiisset à David; *Tu comedes panem in mensa mea semper: qui adorans eum dixit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super eanem mortuum similem mei?*

mei? beneficium hoc obscurat illud quo te beat piif-
 fimus Jesus, hujus in te benevolentia longè profusior:
 spirituales illæ epulæ, assiduæ divini Spiritus conso-
 lationes & ambrosia cœlestis, quibus te reficit & ob-
 lectat, mensa Eucharistica cui te sæpiùs admovet, &
 intima familiaritas in quam te admittit, tantùm illud
 superat quantùm anima corpus & æternitas tempo-
 rum momenta. Abigail à Davide in Sponsam selecta,
consurgens adoravit prona in terram, eoque se honore 1 Reg. 25:
 indignam reputans, ecce, inquit, *famula tua sit in an- 41.
cillam, & lavet pedes servorum Domini mei. Quid*

majus, eligi in Sponsam Regis terreni, ut Abigail, an
 assumi in Sponsam Regis cœlestis? quis hunc illi non
 præferat? eximio hoc honore cumulavit te divina
 Bonitas: nonne congruum ut ejus in te memoria ju-
 giter perennet, nec ullâ unquam oblivione deleatur?

„ Non necesse habet (de Virgine scribit Orator An- L. de Virg
 ginit. c. 59
 tiochenus) in Sponsum inquirere nec fucum timet,

„ Deus est enim non homo, herus non conservus, ac

„ Sponsorum hoc discrimen est. Vide autem & qui-

„ bus rebus despondeantur, non mancipia, non terræ

„ jugera, non tot ac totidem auri talenta, sed cœli &

„ cœlestia bona Sponsæ hujus donationes sunt: præ-

„ terea conjux mortem trepidat, cùm propter alia,

„ tum quòd se à contubernali disjungat: Virgo &

„ mortem desiderat & vitam gravatur, Sponsum præ-

„ sens præsentem intueri, eâque gloriâ frui prope-

„ rans. Nonne jure merito in pretio habenda hæc

„ gratia? „ Virgo si eligat crimen est, (lego apud D. L. 1. de
 Virg.

„ Ambrosium) si non eligat contumelia: quæ quam

„ vis pulchra sit & decora, & timet videri & cupit:

„ cupit ut se cariùs vendat, timet ne hoc ipsum dede-

ceat

ceat quòd videtur : quanta autem votorum ludibria
 & ad procorum eventus suspecti metus, ne pau-
 per illudat, ne dives fastidiat, ne pulcher irrideat,
 ne nobilis spernat. Huic periculo subtracta, dubia
 huic aleæ subducta gratiam & beneficium non
 agnosces? gratiam pro gratia non referes? deflea
Judic. 11: filia Jephthe Virginitatem suam, seque à Patre Deo
37. - 40. lachrymetur victimatam, ejusque memoriam an-
 nuam tristibus lamentis per quadriduum servent. Fi-
 lia Israël : tu & te & Virginitatem tuam Deo con-
 secratam lætare : & ut festa annua ad singula prope
 beneficia ex divino præscripto habuerunt Israëlita,
 ita sit & tibi anniversarius consecrationis tuæ dies
 sollemnis.

SECUNDUM est, quod hinc sequitur, ut eadem
 formulâ, quâ ea olim conceperas (sub sacro scilicet & in
 sacra Communione) renoves priora proposita, ap-
 probes & confirmes. Et quare non? num fortè
 pœnitentia vel displicentia aliqua te revocat ab hac
 ratihabitione? certè nulla tibi suppetit pœnitentia
 ratio : non decepta non es illaqueata : conjugium in-
 faustum non est quo te Deo tuo alligasti, tantùm ne
 Sponsum tuum pœniteat elegisse & vocasse te, cave
 ne repudium mereare : Neque ulla justæ displicen-
 tiæ causa potuit interim enasci : est fortè quia patens
 aliquas difficultates? sed quis quæso Status iis exi-
 mius est? aut est quod omnia non accidant ad nu-
Job. 7:1. tum & votum? falleris, si illud hîc quæsieris : *Mili-
 tia est vita hominis super terram, & sicut dies merce-
 narii dies ejus.* Non proprium semper sed sensum a-
 liorum sequatur Mercenarius, & contra molestias ac
 dif-

difficultates omnes militis animus obfirmatus sit oportet: Jussa terra spinas & tribulos germinare non flores, neque Rosa ideo non crescit, quia spinis circumdata: Patientia unica malorum omnium medela, & quod ea exaruit aut necdum sat altas radices egit in pectoris tui viridario, idcirco languet complacentia. Eductus ex Ægypto Israël & in solitudine oberrans patiebatur itineris laborem multasque adversitatum difficultates, & ad ejus solatium non nisi pauculos è terra Canaam per Josue & Caleb Dominus fructus submittebat: exempta sis licet è mundi servitute, necdum tamen intraisti Terram promissam, ubi summa quies & omnia ex voto: adhucdum hæres in via, sufficiat tibi illa futuræ felicitatis prælibatio quam interim submittit divina providentia: itinere seu cursu consummato erit tunc *Deus omnia in omnibus*. Jephthæ hîc tibi imitanda constantia: *aperui os meum ad Dominum & aliud facere non poterô: voverat ille inconsideratè tu præmeditatè: approbat ille quod licitè retrectare poterat, tibi resilire non licet: Quæ autem respexit ad nuptias, denuntiat Antistes Hypponensis, Non quia voluit nubere, in damnatur, sed quia jam antè recesserat, & fit uxor Lot respiciendo retrorsum*. Ideoque datam Deo fidem ne fallas: approba & renova pollicitationes tuas: irruant in te adversitates non dejiciant: Loquere cum Jephthæ: *aperui os meum ad Deum, & aliud facere non poterô*. Non licet semper hære in Monte Thabor, etiam quandoque trahenda mora in Vertice Golgothæo. Nec omnibus ut Eliæ in sibilo auræ tenuis, verùm plurimis ut Moyfi è rubo loquitur Dominus. „ Alioquin delicato satis otio dormire voles, inquit

Gen. 3: 18

Num. 13:

1 Cor. 15:

28.

Num. 11:

35.

In Psal.

75.

3 Reg. 19:

12:

Serm. 46. *in Cant.* inquit D. Bernardus, si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fœcunditate neglectâ solis cupias, Rachelis amplexibus oblectari: sed & præposterus ordo est ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum.

I. Imit. TERTIUM denique est, ut, si defueris hæcenus, vel nunc statuas & incipias ambulare dignè vocatione tuâ, ne & te illa Kempæi querimonia notent: quid prodest diu vivere, quando tam parum emendamur? ah longa vita non semper emendat sed sæpe culpam magis auget! utinam per unam diem benè essemus conversati in hoc mundo! multi annos computant conversionis, sed sæpe parvus est fructus emendationis. Idem torpor, eadem delidia spiritus & te remorata est? rogo non addideris præcedentibus menses vacuos & annos steriles: *erubescat senectus quæ emendare se non potest.* Sed vel nunc statue, si fortè ultimus foret, (& quis scit?) pernicioribus sequenti hoc anno passibus ad perfectionem properare, quem in finem is tibi fortè prorogatur; idem namque à quo supra te electam asserbam, explicat à te quid requirat *ut eatis* inquiens & *fructum afferatis & fructus vester maneat.* Ut eatis seu abeatis à vestris imperfectionibus ac vitiis, sanè felix recessus! ab ægritudine ad sanitatem, è sordibus, ad munditiam, è vinculis ad libertatem: tollitur namque iis gratâ in Deo tuo quies & gustus veræ devotionis: Anima à familiari cum eo commercio repellitur, utpote indisposita & incomposita adhuc: ac tandem iisdem quasi compedibus ligatur ne ad eum libera evolet eique indivulsò adhærescat: abeat itaque ab iis necesse est, quæcunque Deo suo approxi-

Ambr. L. *erubescat senectus quæ emendare se non potest.* Sed vel
5. Epist. nunc statue, si fortè ultimus foret, (& quis scit?) per-
31. nicioribus sequenti hoc anno passibus ad perfectio-

Joh. 15. nem properare, quem in finem is tibi fortè prorogatur; idem namque à quo supra te electam asserbam, explicat à te quid requirat *ut eatis* inquiens & *fructum afferatis & fructus vester maneat.* Ut eatis seu abeatis à vestris imperfectionibus ac vitiis, sanè felix recessus! ab ægritudine ad sanitatem, è sordibus, ad munditiam, è vinculis ad libertatem: tollitur namque iis gratâ in Deo tuo quies & gustus veræ devotionis: Anima à familiari cum eo commercio repellitur, utpote indisposita & incomposita adhuc: ac tandem iisdem quasi compedibus ligatur ne ad eum libera evolet eique indivulsò adhærescat: abeat itaque ab iis necesse est, quæcunque Deo suo approxi-

proximabit: sana sit oportet non ægra, quæ ejus ministerio vacabit: nitida & munda, non situ & squa-
lore vitiorum suorum foetida, quam inter famulas
suas admittit & agnoscit: libera sit non mancipium
quæ cœlesti Sponso maritabitur: *Surge, propera Amica mea, is inquit columba mea, formosa mea, & ve-*
ni: imperfectionum tuarum cœno ac visco non in-
hærendum, posui vos ut eatis, posui vos ut eatis, &
fructum afferatis, fructum, scil. bonorum operum &
virtutum, de quibus Hebræus sapiens: *Bonorum labo-*
rum gloriosus est fructus & quæ non concidat radix sa-
pientiæ: quo intuitu Virginitatem *nomen multi la-*
boris & sudoris inscribit Chrysostomus, sine quibus
neque ea quicquam proderit: ,, non tibi solus sufficit
,, ad capeſſenda præmia (monet D. Augustinus) Vir-
,, gineus pudor, nisi etiam & aliis fueris ditata vir-
,, tutibus: sed neque hunc tantum poteris custodire
,, thesaurum, nisi tuum possederit continuè Humi-
,, litas pectus non sit itaque otiosa & sterilis Virgi-
,, nitas sed laboriosa & fœcunda, pertimescat D. Chry-
,, stomi censuram: ,, quid verò si & Virgo de multis
,, laboret atque humana curet? Apage: qui Vir-
,, ginum Choro eam exemeris: siquidem ad Virgi-
,, nem præstandam haud sanè satis est non nupfisse,
,, sed animi quoque castitate opus est: castitatem au-
,, tem intelligo non fœdâ ac flagitiosâ solùm libidine,
,, ornatu, curiositate vacare, sed vitæ etiam curis so-
,, lutam esse ac liberam: quod ni sit, quorsum cor-
,, poris castitatem? nam ut milite, qui abjectis ar-
,, mis in popinis occupetur, nihil turpius, ita nec
,, Virgine vitæ curis obstrictâ quicquam inhone-
,, stius. Etenim quinque illæ & lucernas habebant
& Vir-

Cant. 2.
10.

Sap. 3: 15.

Supra c.
41.Serm. 1.
de As-
sump.
Virg.De Virgi-
nit. c. 77.

& Virginitatem exercuerant, quorum nihil eis profuit, sed clausis foribus exclusæ perierunt: quippe, ob id præstans est Virginitas, quòd omnem super-
 vacuæ curæ ansam protelet, *otium omne atque studium divinis operibus consecrans*: quod ni habeat, matrimonio longè sit deterior spinas in animo circumferens & legitimum ac cœleste semen suffocans. Enitatur ad perfectionem quæ perfectionis statum proficitur: quos tollit defectus, supplet virtutibus: afferat bonorum operum fructus, in qua excolenda divinâ industriâ laborat: sit, quod dicitur, Ancilla Christi, sedula ac diligens, Virgo merito non solo vocabulo: Bonum est tibi ô virginalis Anima (suggerit Augustinus) ut sic quomodo Virgo es, sic omnino servans in corde quod renata es, servans in carne quod nata es, concipias tamen à timore Domini & parturias spiritum salutis. *Oratur* netur morum sanctitate Virginitas, & perfectum gradum vitæ perfectio subsequatur, (instat Autor Epist. ad Demetriadem,) certè si secularis vita tibi placuisset, dâres operam ne quis te divitiis, ne quis corporalibus ornamentis, ne quis rerum omnium copiâ & honore præcederet: & nunc diversitas studii diversam vitam desiderat: cura ne quis te in benè vivendo transcendat, ne quis morum sanctitate superet, ne quis tibi in virtutibus præferatur. Vult denique ut fructus maneat: *posui vos ut eratis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Etenim odit omnem animi levitatem & inconstantiam: non in fulgure, quod subitò apparet & disparet, sed *in sole posuit Tabernaculum suum.* Quàm eum ægrè habeat quantaque acrimoniâ Ephesino Episcopo denun-

De Virginit. c. 38.

Apud
 Aug. Epist. 14.
 c. 10.

Psa. 18:6.

nuntiabat, quod hic vacillasset! *Habeo adversū te, quod Apoc. 2: 4. & 5. charitatem tuam primam reliquisti: sibi non vult quicquam imminui aut detrahi. Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, eum cur namque, quo ante, modò non eodem servitio dignaris? Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris: cùm enim sua in te beneficia coacervet quotidie, vult ut tua vicissim ei non subtrahas obsequia, sed novo ea fervore augmentes indies: recreat illum, si eum inter & te sit amica concertatio: non vult ut tu succumbas aut cedas officiis. Gloriabundus asserebat Propheta Job: *Vestigia ejus secutus est pes meus, c. 23. viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea, à mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi- vs. 11. & 12. verba oris ejus: deprædicabat Caleb: hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens ut eo valebam tempore quando (scil. ante annos 45.) ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum. Post longa annorum curricula debet eadem posse & Virginis esse gloriatio: corpore deficiat, sed non animo & fervore senectus portus debet esse, L. 2. de Jacob & vita beata. c. 10. inquit D. Ambrosius, non vitæ superioris naufragium. Nolo tamen, licet felices quibus hæc fors obtigit, ut eundem semper devotionis sentiat affectum, id namque non volentis aut currentis sed miserentis est Dei: verùm hoc urgeo, ut ubi se frigidam senserit, perpias considerationes, ut in hieme ad ignem, ad calorem appropere.**

Et hoc Virginis officium est brevi hac sententia

X

præ-

1 Cor. 7: 34. præscriptum ab Apostolo: *Mulier innupta & re-
go cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore &
spiritu.* Nolo ea exenterare, cum id fusè egerim to-
to hoc Tractatu. Tu itaque Virgo, si usque huc ei
non responderis, dole numerare te tot annos steriles:
erubescere aut potius time, non vitæ merito sed ma-
do vocabulo & fuce vestis te hæctenus fuisse Virgi-
nem & tepescentis spiritus speciem solo externi
habitu retinuisse: *Vestimenta religiosa*, ex S. Augu-
stino *sine bonis operibus non solum remedium habent
non poterunt, sed etiam justum Dei iudicium sustine-
bunt.* Etenim *is imprimis fucatam Virginitatis speciem
& Habitum odit*, assertore D. Basilio: cujus senten-
tiæ vim reformida & vel hodie ac si primus con-
fessionis tuæ dies foret, nova proposita, novum ferve-
rem concipe: intepuit vigor, obrepfit lassitudo: eam
excute, illum renova, novisque studiis compensa-
damnum & neglectum præteritum: contingit enim
aliquando quod viator aliquis, quem ad horam præ-
gritantem focii præcesserant, reparatis animo & vi-
ribus eos, qui se jam præcesserant, non modò gra-
diendi velocitate consequatur, sed etiam antecedat
alacritate, idem fervor ab hinc & te propellat, & quò
solidus perseveret, ad sacram Communionem ad-
ducat: verùm non sint tantùm flores propositorum
sed transeant in fructus operum, non enim Deo se-
tisfaciunt frondes aut folia verborum sed fructifica-
tio operum: jubebat is excindi ficulneam per trien-
nium sterilem, at exoratus sub spe fructuum adhuc ad
annum unum ejus excidium differebat, eodem in-
tuitu gratiam eandem tibi factam cogita de anno in
annum, te in illa ficulnea agnosce: age gratias quòd

Luc. 13.
7-9.

tot annis tuam ingratitude[m] negligentiamque sustinuit: & si tempus præteritum adhuc futurum esset, quomodo illud transfigeres, subsequens conversatio prodat: à cœlesti Agricola implora cultum divinæ gratiæ, qui eam dat incipientibus non subtrahet proficere volentibus: postulent cum Augustino *Medit. c.*
 „suspiria tua; libera quæso me à peccatis, vitiis, cul-^{13.}
 „pis & negligentis meis: reple me tuis sanctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus: fac me in
 „sanctis operibus tuis propter nomen sanctum
 „tuum perseverare usque in finem secundum voluntatem tuam.

§. II.

De Zelo pro Virginum augmento.

Quod è duobus prioribus superioris §. dogmatibus consecrarium hîc lubet pertractare & commendare Virgini, scil. si sibi gratuletur, ob suam ad Virginalem statum electionem sibi in eo complaceat, ut ad eundem allicere & inducere Virgines alias allaboret: ea namque natura Boni quòd sit diffusivum & communicativum sui., Agite itaque
 „que cursum vestrum, (instat Hipponensis Antistes,) *L. de Bon-*
 „& perseveranter currite ut comprehendatis: *Ex-Viduit.*
 „emplo vitæ exhortationisque sermone rapite in eum-^{c. 23.}
 „dem cursum vestrum quascunque potueritis. Et aliorum omnes, quæ formari poterant, oppositiones *ibid.*
 „dissipans mox subjungit: „Non vos ab hoc studio, quo multas ad imitandum vos excitatis, frangat querela vanorum, quid dicunt: quomodo subsistet